



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

10. An Pontifex possit dispensare, ut infantes ante usum rationis confirmentur? Et an sine Pontificia dispensatione possint in aliquo casu infantes ante usum rationis confirmari ex justa causa? Et ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76359)



RESOL. X.

*An Pontifex possit dispensare, ut infantes ante usum rationis confirmentur.*  
*Et an sine Pontificis dispensatione possint in aliquo casu infantes ante usum rationis confirmari, ex iusta causa.*  
*Et an, si Episcopus confirmaret infantes ante usum rationis absque iusta causa, peccet mortaliter, aut venialiter.*  
*Et docetur Sacramentum Confirmationis olim in prima Ecclesia, & postea per multos annos infantibus simul cum Baptismo administratum fuisse.*  
*Et an simul in Oriente, & precipue in Grecia, & Ethiopia vetus consuetudo perseveret. Ex part. 8. tr. 1. Rel. 46.*

Quæ hic est infra Rel. 55.

§. 1. ID quod in superiori resolutione diximus de Sacramento Eucharistia, à fortiori dicendum est de Sacramento Confirmationis, nempe posse Pontificem dispensare, ut infantibus ante usum rationis ministraretur, nam prius cum Baptismo ministrabatur, licet hodie hoc non liceat, non ex alio capite, quam ex usu Ecclesie, ergo.

Sup. hac doctrina vsque ad §. Non desinam, huius Res. leg. Resolutiones not. leg.

2. Sed rem gratam existimo Lectoribus facere, si hic apponam ea, quæ obseruat Magnus Basilii Pontius de sacrament. Confirmat. part. 5. cap. 1. num. 4. & seqq. vbi probat, sacramentum Confirmationis olim in prima Ecclesia, & postea per multos annos infantibus simul cum Baptismo administratum fuisse. Hunc autem morem baptizandi simul, & confirmandi infantes extitisse in Ecclesia, constat ex Tertulliano lib. de Baptismo, c. 7. & 8. & ex Innocentio I. in epist. ad Decentium, cap. 3. quæ incipit: De consignandis vero infantibus, & ex Gregorio I. lib. 3. epist. 9. Quæ de re extat etiam Decretum apud Gratianum cap. si omni, de consecr. dist. 4.

3. Sed & multo post Apostolorum tempora etiam in usu fuit, infantes baptizatos confirmare. Nam Iacobus Vitriacus in historia Occidentali, cap. 37. id testatur his verbis: Hoc Confirmationis sacramentum quidam ita coniungunt Baptismo, ut statim velint ipsum post Baptismum debere conferri, quoniam per hoc confirmatur fides, quæ in Baptismo suscipitur. Quæ consuetudo satis approbata est, vbi haberi potest copia, seu presentia maioris Sacerdotis. Hæc ille. Similiter in Oriente, & precipue in Grecia & Ethiopia vetus consuetudo perseverat, sicut ex verbis Hieremie Patriarch. Constant. respons. 1. cap. 2. colligi potest. Rationi consentaneum est, Baptismati etiam Christina subiungi, reque in tempus differri. Idem colligitur ex ordine Baptismi secundum usum Ethiopum. Sacerdos autem dicit sequentem orationem: Super eos qui baptizati sunt prius quam eos unget balsamo; postea ungit frontem. Nec verò ea consuetudo confirmandi infantes recenter baptizatos, ratione vero simili & congrua destituitur. Nam certum est infantem, si sunt capaces sacramenti Baptismi, item & Confirmationis capaces esse. Ex quo sequitur accepto Sacramento Confirmationis in illis augeri gratiam, & ex consequenti, si in ea infanili ætate decesserint, maiorem gloriam adepturos.

4. Verum persecutione Tyrannorum cessante, & Principibus in mentem saniores redactis, & inualecente puero cum Baptismate etiam consue-

tudo confirmandi recens baptizatum infantem in usu esse desit. Et primum quidem ad septimum diem à Baptismo dilata est Confirmatio, ut diximus ex Romano lib. 1. de instrum. Cleric. cap. 17. his verbis. Alios septem dies in memoriam eiusdem Dominice Resurrectionis congrua festiuitate subiungentis, quos septem dies Albas vocitamus, propter eos, qui in sancta nocte baptizati, albis per totam hebdomadam vtuntur vestibus, & tunc maxime, dum alba tolluntur à baptizatis vestimenta, per manus impositionem à Pontifice Spiritum sanctum accipere conueniens est. Sed aucto paulatim fidelium numero, & Baptismate in singulas Parochias inuecto, cum Episcopi tantæ hominum multitudini, vno die confirmandæ, non sufficerent, commodior ritus adhiberi cœpit, ut illi statim per annum diebus, Diocesim visitando, eos quibus Confirmationis sacramento opus erat, aut ad idoneam ætatem deueniant, sacro Christmate confirmarent. Quod propè tempora Caroli Magni incipit nonnulli credunt, quando aduultorum Baptismus cessauit, quorum causa Confirmatio statim post Baptismum adhibeatur. Vnde ex Concilio Aurelianensi extat decretum apud Gratianum in cap. ut ieiuni, de consecr. dist. 5. vbi statuitur, ut non confirmetur nisi perfecta ætatis. Quod indicare videtur non nisi duodecimo ætatis anno suscipiendam esse Confirmationem. Nam ea dicitur ætas perfecta, ut ibi glossa, quando scilicet quis promoueri possit ad Ordines minores. Sed hodie ex Catechismo Romano c. 18. infantes ante septennium confirmari non debent. Ex quibus omnibus manifestè patet posse, ut dicebamus, Pontificem dispensare, ut infantes ante usum rationis confirmarentur.

5. Non desinam tamen hæc obiter adnotare, etiam sine Pontificia dispensatione, posse in aliquo casu infantes ante usum rationis confirmari ex iusta causa. Huiusmodi causa censetur non solum si puer ante septennium ostendat sufficientem usum rationis, quo casu censetur ut aduultus; sed etiam si diu abfuturus sit Episcopus, qui denud hoc Sacramentum administret. Si infans sit in periculo mortis, & Episcopus dignum ducat ad eum accedere, ut notauit Innocentius Papa epist. 1. ad Decentium. Si infans sit filius Principis; si consuetudo regionis id commendet; aut alias similis. Et ita docet Augusta de sacram. Confirm. quest. 72. sect. 6. Pontius vbi supra, numer. 8. & alij.

6. Sed quid dicendum, si Episcopus confirmaret infantes ante usum rationis absque iusta aliqua causa, peccaret-ne mortaliter, an venialiter? Ego puto peccare tantum venialiter; & pro hac sententia in part. 3. tractat. 4. resol. 19. adduxi Nugnum, nunc etiam, vlt. & addo Præpositum in 3. part. question. 72. artic. 7. dub. 2. num. 37. Tannerum tom. 4. disput. 4. dub. 2. num. 37. Hurtadum de Confirmat. difficult. 10. Layman. lib. 5. tract. 3. cap. 5. num. 2. Filliucium tom. 1. tractat. 3. cap. 2. num. 16. Suarez in 3. part. tom. 3. disput. 35. sect. 2. Coninck de Sacram. question. 72. artic. 8.

Sup. contentis in hoc §. in tom. 1. tr. 2. Rel. 15. 14. & 15.

Sup. hoc in Rel. 1. not. præteritæ §. vlt. & in Rel. 61. §. Nota tamen.

RESOL. XI.

*An Pontifex possit delegare potestatem ministrandi Sacramentum Confirmationis simplici Sacerdoti.*  
*Et an sit de Fide Presbyterum posse esse Ministrum Confirmationis ex dispensatione.*  
*Et vtrum Pontifex legitime electus, sed nondum*